

quoque mollior erit aqua. Hoc primum monstrum. Alterum quod ignis, in Peripato sic cessimus, sit etiam humidus, quia mollis. Mollities enim ab humido est. Tertium, terra ambitur ab aqua, ergo ab ea in rotundum agitur, ergo terra mollior quam aqua. Si vero adversis gradibus ascendamus. Aqua est rotunda ergo et ær eam ambiens. Ær rotundus est, ergo, et ignis ambiens. Ignis rotundus, ergo et Lunæ orbis ambiens, ergo et orbis superiores usque ad supremum. Hic contraria omnia eveniunt. Nam inferiora, quæ prius molliora fuerant duriora sunt effecta. Ad quorum duritiem superiora sunt conformata. Et orbis extimus omnium ante durissimus, mollissimus evasit. Quia Saturni orbi duriori circumfusus, ad eius figuram conformatur. Et Lunæ orbis mollissimus, prius, durissimus sit effectus, quia superiorem circa se molliorem in rotunditatem sua duritia conformavit. Inconstantiam hanc in eodem subiecto, Peripati cavillis, ac salvationibus relinquamus. Illud teneamus, Aristotelem qui e cælo omnes voluit qualitates detrudere, mollitudinem, et duritiem, non potuit extrudere. Sed mollitudo, humoris est filia, sicuti durities siccitatis. Ergo in cælo, præter mollitiem, et duritiem, et humor est, et siccitas. Atque hæc elementalia. Nulla enim in tua philosophia alia sunt, aut humiditas, aut siccitas, aut durities, aut mollitudo, quam eæ quæ in elementis primo sunt, et ab his, in rebus mistis. Ergo cælum non est quinta ulla ab elementis essentia. Quam tantopere studuit adstruere.

Verum nos ex nostris principiis, quid cælum sit ad finem deducamus. Fuerunt autem nobis corporum omnium principia intrinseca, quæ corpora omnia constituerent, et ex quibus omnia constarent, et in quæ, (si quando resolvantur) resolverentur. Quatuor illa simplicissima. Spacium, lumen, comes luminis calor, blandissimus vitalissimusque. Et fluor liquidissimus. Ex quo, et in quo, tamquam ex materia, et in materia, corpora omnia deinceps antitypa, et renitentia, in spacio, ut in loco, lumine, et calore effectoribus, formarentur. Horum autem corporum, primum ostendimus fuisse Empyreum mundum ad externa infinitum, ad intera finitum. Qui in fluore, et ex fluore, calore, et lumine indicibili suavitate, et blandore arderet. Et prima esset, flammæ corporearum veluti incorporea. Quæ ni se lucem, non daret. Et est se lumen tenuissimum emitteret. Ideoque esset invisibilis. Intra quam alius esset æther utraque ex parte finitus. Qui non totus quantus est arderet, sed totus quantus est, partibus arderet discretis, et numero innumero distinctis, iis videlicet, quas mortales, stellas, et astra, et sidera appellaverunt. Nam si in Empyreo continuatus est ardor ille primus, et continuo discreta quantitas est opposita, vi naturæ hanc quoque ardorem de se dare oportuit discretum, flammis quidem ingentibus, sed innumeris. Nam continuo infinito ad extimam partem, ardente Empyreo. Constructo, decuit, ad partem quoque intimam, discretum, finitum quidem, sed pene infinitum supremum condere conditorem. Sidera ergo numero forte infinita, in fluore, an densiore, an rariore, nondum notum, calore, et lumine accendit, visui pleraque subiecta humano, ut hac quoque ratione, contrario uno a conditore posito invisibili nempe Empyrei ardere, alter visibilis cerneretur ardor. Et quod mens nostra in numero accretione infinito, ariolatur, alicubi actu pene reperiretur, inter corporea. Et sicuti in Empyreo toto, ad externa spacio infinito fluor extensus, et ei cœxtensus tenuissime erat. In æthere idem fluor, conglobatus esset in partes immensas, et innumeras. Qui sicuti in Empyreo raritate, et tenuitate caleret blandius, et arderet lenius, sic in æthere, coactione sui, caleret acutius, et arderet vehementius. Et visibilis flamma fieret, qua in Empyreo permanet invisibilis, sed Astronomi, audacia quadam sua, infinitas fere stellas, in certum numerum redigere sunt conati. Sex enim magnitudinum observatas, non plures quam MXXII esse, ausi sunt pronunciare. Sed quas vel ob parvitatem, vel ob distantiam a nobis nimiam, cum numerare non possent, prope infinitas esse proferre timuerunt. Nam sereno ære, hieme concreta, nocteque concubia, ad omnes quidem ætheris partes, sed præcipue ad Septemtriones, infinito numero auctas, minutissimasque visus conspicit non lippus. Quam rem per se manifestam, ne suas MXXII stellas, numero crevisse concederent, Astronomi somniarunt, frequentiore numeratarum eo tempore micatione, visum allucinati cum